



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 58. Colloquium Oranii Principis cum Egmontio Comite.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

„cui subdicere me haud sane decorum
 „generi meo ducerem, prout fieret, si
 „forte veniret Albæ Dux; „ enimvero
 Albæ Ducis, prout fama ferebat, ad-
 ventus turbabat Oranium Principem,
 qui sibi haud tutum cum eo commer-
 cium esse posse, existimabat. Tandem
 Bertius ad singulas Oranii rationes re-
 spondens eundem rogabat, ut antequam
 hoc consilium caperet, cum Egmontio
 Comite, aliisque nonnullis, quoscun-
 que seligere vellet ex Belgii Proceri-
 bus, colloquium hac super re haberet.

§. LVIII.

*Colloquium Oranii Principis cum
Egmontio Comite*

Annuens huic conditioni Oranius Prin-
 cept Villabrocum pagum, Bruxel-
 las inter, & Antverpiam situm, collo-
 quio designat, quo cum hinc Princeps
 Orangius, inde autem Egmontius, ac
 Mansfeldius Comites, & Gubernatri-
 cis jussu Bertius convenissent, eadem-
 que rursus, ac sæpius agitassent, infe-
 cta re abiere. Ferunt, Orangium, an-
 tequam inde recederet, cum Egmontio
 Comite seorsum abducto de imminenti-
 bus periculis locutum, ac orasse illum,
 subduceret sese, gravidamque cruore
 tempestatem ab Hispania impendentem
 Belgarum Procerum capitibus ne ope-

H 4

rire

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

Sæcul XVI.
A.C. 1567

riretur: cum autem Egmontius Comes obsequiorum quæ se præstitisse credebat, fiducia tumidus esset, respondit, quod ipse quidem cuncta sibi a Regis clementia polliceretur, quamprimum hic Princeps pacatas, tranquillâsque Provincias cerneret. Ad hæc reposuit Oranius Princeps: *Perdet te hæc, quam jactas, clementia Regis, Egmonti! ac videor mihi, prævidere animo, utinam falso, te pontem scilicet futurum, quo Hispani calcato, in Belgium transmittant.* Hoc dicto tanquam de præfagio suo certus, atque Egmontium postrema vice viturus, eum arcte, nec sine utriusque lacrimis amplexatus abscellit.

§. LIX.

Oranii Principis discessus e Belgio.

Grotius l. c.
l. I.
Thur. l. 41.

Orangius Princeps postridie datis ad Gubernatricem literis orabat, ut ea, quæ nunc egisset, quosque sæpe labores domi, militiæque, pro Regis commodo, ac dignitate pertulisset, benigne interpretaretur ipsa, Et Regi in memoriam revocare dignaretur, se certe Celsitudini ejus, quibuscunque demum in terris ageret, addictissimum perpetuo fore. Post hæc cum uxore, ac familia sua, excepto Philippo filio suo natu maximo, quem Lovanii studiorum causa reliquerat, Bredam oppidum suum petiit, ubi paulum mora-